Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36561
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

29

respondit dicens. Quicquid aliud precipis. facere parati sumus.
Nam istos parvulos nullatenus reddimus. Cui venerandus vir blan
de minatus est dicens. Contristas me. fili non audis patrem tuum.
Noli me contristare. ne non tibi expediat. Sed idem gothus in cordis
sui feritate permanens. negando discessit. Die vero altera dis
cessurus rursus ad episcopum venit. quem isdem verbis pro predictis pueru
lis iterum episcopus rogavit. Cumque ad reddendum nullomodo consen
tire voluisset. contristatus episcopus dixit. Scio quia tibi non expedit. quod me
contristato discedis. Quod gothus verba despiciens. atque ad hospici
um reversus eosdem pueros de quibus agebatur equis super ~~im~~positos
cum suis hominibus premisit. Ipse vero statim ascendens equum secutus est.
Cumque in eadem civitate ante beati petri apostoli ecclesiam venis
set. equo eius pes lapsus est qui cum eo corruit. et eius mox coxa frac
ta est. ita ut in duobus partibus os esset divisum. Tunc levatus in ma
nibus. reductus ad hospicium est. Qui festinus misit. et pueros quos premi
serat reduxit. et viro venerabili fortunato mandavit dicens. Ro
go te pater. mitte mihi ad me diaconum tuum. Cuius diaconus cum ad ia
centem venisset. pueros quos redditurum se episcopo omnino negaverat.
ad medium deduxit. eosque diacono illius reddidit dicens. Vade et
domino dic episcopo. quia maledixisti mihi ecce percussus sum. Sed pueros quos
quesisti ecce recipe. et pro me rogo intercede. Susceptos itaque pu
eros diaconus. ad episcopum reduxit. Cui benedictam aquam fortunatus sta
tim dedit dicens. Vade citius. et eam super iacentis corpus proice.
benedicta aqua
Perrexit itaque diaconus. atque ~~et eam~~ ad gothum ingressus super membra
illius aspersit. Res mira. et vehementer stupenda. Mox ut aqua be
nedicta gothi coxam contigit. ita omnis fractura solidata est